

rum opera velit uti Christus ad parandam hominum salutem: scirent etiam non esse cur propterea extollerentur: licet enim in eorum etiam manibus et sinibus multiplicarentur panes, id tamen non suæ, sed Christi solius virtuti adscribere poterant: scirent denique, se non alia, præter ea quæ sibi a Christo et Ecclesia tradita essent mysteria, debere dispensare, nec alienum adhibere ignem ad sacrificium, sed sacrum; qua de causa morte puniti filii Aaron, Lev. X. Ignis sacer e cælo lapsus, quo uti ad sacrificia debebant, legitimam potestatem e cælo acceptam denotat: ignis profanus seu alienus potestatem illegitimam, a profanis hominibus acceptam, qualem habent præcones acatholici.

Secundo, ut nos exerceret in operibus charitatis et misericordiæ; quo et parentes discerent idem facere cum filiis suis, quos ad hoc instituire debent ut misericordiæ operibus a teneris assuescant quemadmodum fecit Tobias, qui festivis diebus misit filium suum ut adduceret ad mensam patris pauperes (ut monet Hebræus et Græcus textus) timentes Deum, Tob. II.

Tertio, ut nos doceret quod apostoli eorumque successores, episcopi et sacerdotes mediatores quidam sint inter Deum et homines, adeoque cooperatores Dei, qui cum illis velut cum instrumentis operatur virtutem et efficaciam sacramentorum, quo modo etiam inter manus discipulorum panes mirabiliter multiplicati sunt ex vi benedictionis Christi.

AUCTARIUM.

CONCIO I.

QUAMOBREM CHRISTUS MIRACULO MULTIPLICAVIT PANES.

I. Ut se Deum esse Judæis ostenderet, qui olim eos pavit. — II. Ut spem nostram in Deum erigeret. — III. Ut indicaret necessarium nobis esse pabulum verbi Dei. — IV. Ut hoc miraculo præluderet institutioni s. eucharistiæ. — V. Ut ostenderet divitibus rationem multiplicandi opes suas.

THEMA.

Manducaverunt et saturati sunt. Matth. VIII.

Propheta Isaias, qui vitam et miracula Christi tam dilucide descripsit, quasi non tam propheta quam evangelista foret, tetigit etiam aliquid de hodierna refectione, cap. XXX. cum ait: *Dabit vobis Dominus panem arctum et aquam brevem; et non faciet a te avolare ultra doctorem*

VI. Quid allegorice notat hæc historia? Respond. turbam Christi sectatricem denotare peccatores, qui per pœnitentiam Christo appropinquant et pane sacramentorum, præsertim sacrae eucharistiæ, satiari cupiunt. Ex illa qui de longe venerunt, graviore notant peccatores, qui cum filio prodigo abierant in regionem longinquam, et per immania scelera longissime a Deo recesserant. Triduo sustinent Dominum, cum per tres pœnitentiæ partes, contritionem, confessionem, satisfactionem, expiant peccata, qui nisi reficiantur pane spirituali, deficient in via, nec perseverabunt. Providet igitur eis Christus septem sacramentorum panes per manus sacerdotum: verum ut cum gustu et fructu percipiant panes illos discumbere jubentur super terram, hoc est, disponere se ad dignam sacramentorum perceptionem: satiantur vero cum depulsa vitiorum et terrenarum rerum fame, gratiam adepti sunt, cœlestis gloriæ pignus. Quæ superfuere fragmenta, quid nisi inexhausta Christi merita sunt, quæ infinitis aliis hominibus, imo mundis, si qui essent, reficiendis et blandis sufficere possent? Numerus quatuor millium discumbentium significat electorum cuneum, qui ex quatuor mundi plagis veniet et recumbet cum Abraham, Isaac et Jacob in regno cœlorum; quo et nos omnes perducere dignetur Christus Dominus, cœlesti pane æternum satiandos.

tuum. Per panem intelligit cibum, per aquam potum qualemcumque illum, phrasi Hebræa. Jam vero ubinam Salvator noster cibum dedit populo, nisi in hodierno evangelio? Ubi potum nisi in Cana Galilææ? Utrobique selectissimum, et suavissimum, et quidem miraculo provisum. In nuptiis Canæ habitis, extollebant vinum velut præstantissimum: in convivio hodierno panis fuit tam sapidus, ut rapere Christum vellet qui ex eo comederunt, et creare regem. At vero panis iste arctus fuit, et aqua, seu vinum nuptiale breve: quia panis hic non nisi bis datus in solitudine et uni turbæ: vinum vero illud non nisi semel, paucis convivis, ad finem convivii, et ad brevissimum tempus. Et cur hoc? Ne, si constanter exhiberentur, facerent ab illis avolare doctorem suum, et gignerent in eis nauseam verbi Dei, extimulando carnalem appetitum; quod jam fieri cœpisse Dominus os-

tendit, cum postea eis dixit: *Quæritis me, non quia signa vidistis, sed quia manducastis ex panibus, et saturati estis.* Joan. c. VI. Voluit tamen semel et iterum Dominus panem hunc arctum dare ob causas mox indicandas.

I. Ut fidem in Deum excitaret, et imprimis ostenderet Hebræis se esse verum Deum, adeoque illum ipsum, qui olim pavit eorum patres in deserto (cujusmodi locus et iste erat, Matth. XV. *Unde nobis in deserto panes?*) per quadraginta annos, misso cœlitus manna. Tametsi enim Elisæus quoque propheta viginti panibus hordeaceis centum viros saturavit, IV. Regum IV. id tamen non nisi ipsius precibus a Deo impetratum esse indicavit ipse, cum dixit: *Hæc dicit Dominus; Comedent et supererit.* At vero Christus nihil simile effatus est quando panes multiplicavit, sed per potestatem excellentiæ, sola benedictione sua, panes auxit et de novo produxit, ut demonstraret se esse Deum, qui ab initio mundi creati, benedixit terram, ut proferret fruges, aquam ut pisces, etc. Unde Sanctus Augustinus, tract. XXIV. in Joannem ait: « Quis enim et nunc pascit universum mundum, nisi ille, qui de paucis granis segetes creat? Fecit ergo quomodo Deus. Unde enim multiplicat de paucis granis segetes, inde in manibus suis multiplicavit quinque panes, potestas enim erat in manibus Christi. Panes autem illi quinque, quasi semina erant, non quidem terræ mandata, sed ab eo, qui terram fecit, multiplicata. » Hinc utique accepit Christus panes multiplicandos prius in manus suas, ut inde quasi e terræ gremio fruges, vel ex aere manna effunderet in discipulorum sinus et mensas discumbentium; Elisæus autem panes nequam tetigit, sed allatos præcise apponi jussit, ut ostenderet se ministrum tantum et instrumentum illius esse miraculi. Neque vero hoc ob solos fecit Judæos Dominus, sed ob omnes omnino mortales, ut ex hoc miraculo agnosceremus et cum gratiarum actione diligeremus eum, qui non minore miraculo quotidie nos pascit frugibus e terra mirabiliter productis. Unde subjicit Augustinus: *Hoc ergo admotum est sensibus, quo erigeretur mens, et exhibitum oculis, ubi exercetur intellectus, ut invisibilem Deum per visibilia opera miraremur, et erecti ad fidem et purgati per fidem, etiam ipsum invisibiliter videre cuperemus.* Certe nequaquam minus, sed potius majus miraculum esse videtur multiplicari vobis semina in gremio terræ, quæ alioquin corpora sibi mandata absumere et devorare solet, quam multiplicari panes in manibus Christi, qui: *Aperit manum suam, et implet omne animal sua benedictione.* Et tamen videntur pauci mortales beneficium hoc, indeque

Deum benefactorem suum agnoscere, et debita gratitudine colere. Hebræi certe, accepto manna, stupentes dixerunt: *Manhu? Manhu? Quid hoc? Quid hoc?* Et cum non minori miraculo pascat nos Deus quotidie, pauci mirantur et gratias agunt. Quod sane mirum est. Quis enim cum Paulo eremita sedens in specu, vel cum Daniele in lacu, si quotidie acciperet panem et victum suum, seu a corvo seu ab homine peregrino, non miraretur et laudaret suum benefactorem? Quis videre eum non cuperet, qui hæc ipsi mittit? Quis vel ignotum etiam non maxime diligeret? Quis non quotidie diceret seu cum Daniele: *Recordatus es mei, Deus, et non dereliquisti diligentes te?* Dan. ult. seu cum eremita: *Eia, Dominus prandium nobis misit, vere pius, vere misericors?* vel cum sene illo Jacob: *Deus, qui pascit me ab adolescentia mea usque in præsentem diem?* Gen. XLVIII.

II. Ut spem nostram erigeret in Deum, qui in primis suos in defectu humanorum auxiliorum adjuvare solet præsidio divino, et præsertim eo temporis momento, cum res in angusto et desperatione conclusæ, videntur. Hanc rationem affert Victor Antiochenus, in hodierno evangelio: « Etenim, inquit, cum panes non haberent, post triduanam perseverantiam, neque commode in deserto habere possent citra detrimenti cuiuspiam periculum, impransii dimitti non poterant. Quod si ejusmodi necessitas non ursisset, Servator utique consuetam miraculorum virtutem hic non ostendisset: siquidem turbæ non sectabantur illum propter corporalem annonam, sed propter spiritualem escam. » Similiter Chrysostomus, in cap. XV. « Non in prima, inquit, die, neque in secunda miraculum fecit, sed expectavit, ut omnibus consumptis, indigentia coacti, majori admiratione factum prosequerentur, etc. » Plane ad eum modum (ut hinc etiam Judæi possent agnoscere suum altorem, quem olim habuere per desertum) quo in solitudine peregrinantes olim non acceperunt manna de cælo, donec omnis farina, quam tulerant de Ægypto, consumpta, adeoque famæ (neque enim serere aut metere in solo alieno et sterili poterant) coorta esset, post dies nimirum triginta, quibus duravit farina ex Ægypto sublata, teste Josepho. Vult enim Deus, ut, prius quam succurrat, appareat nostra indigentia et necessitas, ne alteri quam ipsi præstitum adscribamus auxilium. Qua eadem causa noluit in Cana subministrare vinum, prius quam appareret vini defectus: non succurrit Sarephthæ per Eliam augmento farinæ, nisi in necessitate extrema, cum jam non plus haberet, quam pugillum unum, III. Reg. XVII. neque viduæ alteri par Elisæum incremento olei, nisi

CONCIO I. AUCTARIL.

postquam omnibus rebus exuta fuit, usque ad paucas olei guttas, quibus inungi facies posset, IV. Reg. IV. Susannam non prius eripuit, quam ad mortem duceretur, Dan. XIII. discipulos in mari periclitantes, non antequam clamarent: *Præceptor, perimus*, Luc. VI. paralyticum tum demum sanat, quando se ab omnibus derelictum dixit, Joan. VIII. Alioquin enim ingrati homines vel sibi, vel fortunæ, vel præcise naturæ et necessariis causis liberationem et salutem suam adscribunt. Quare ne miremur, si Dei manum auxiliarem necdum sentimus, quia, ut videtur, necdum extrema patimur. Ad hæc, præ cæteris attendit ad eos, qui in ejus obsequio se occupant, vel ejus causa patiuntur aliquid. Hanc causam ipse Dominus indicat, cum ait: *Quia ecce jam triduo sustinent me*. Numerat ergo dies, quibus in servitio ejus distinentur pii, ut velut mercenariis sua causa laborantibus dignam rependat mercedem. Experti sunt hoc quotquot scimus propter Deum aliqua vel egisse vel sustinuisse. Elias in exilium actus ob prophetiam suam, pastus est a corvis et vidua, III. Reg. XVII. Daniel in leonum lacum, ob invocatum Deum, positus, refocillatus pulte Habacuc, Dan. ult. Sanctus Paulus eremita in solitudinem, ob fidelium persecutionem, compulsus, a corvo quotidiano pane altus: Sancta Catharina virgo et martyr, per duodecim dies a columba in carcere sustentata: Sanctus Hermanus, pro Dei obsequio iter agens, optimum vinum in summa lassitudine e vacua lagenâ bibit: aliique innumeri: eadem de causa Hebræi quia Deo vocante Ægyptum deseruerunt, ut in deserto ipsi sacrificarent, ibidem miris modis sustentati sunt, ut diximus: non minore Dei providentia Christiani, anno Domini 1098. Deo etiam monente per Sanctum Bernardum, ad terram sanctam recuperandam profecti, cum Antiochiæ extrema victus penuria laborarent, rore suavissimo cœlitus misso, pasti et confortati sunt, adeo ut quicumque eo rore conspersus fuit, integrum animi et corporis vigorem ac sospitatem recipere, tamquam nihil laboris ac molestiæ toto illo itinere passus esset: qui vigor etiam equis eorum, non hominibus tantum, concessus fuit ut ex Æmilio, lib. hist. Franc. Tyrio, lib. VI. belli sacri alibi retulimus.

III. *Ut hoc miraculo designaret, quod viam sæculi præsentis aliter incolumes transire nequimus, nisi alimento verbi sui Christus nos reficiat*, inquit venerabilis Beda. Similiter Beatus Rhemigijs: *Peccatores*, ait, *per penitentium conversi, in cursu labentis sæculi pereunt si absque sacræ doctrinæ pabulo dimittantur*. Quod etiam mystico sensu tangit Dominus, dum ait: *Et si dimisero vos jejunos, deficient in via*. Rursum quando col-

ligi fragmenta jussit, ut itinere delassatis iterum restaurare vires possent, monens Christi fideles, ut per hujus vitæ cursum semper in promptu habeant fragmenta verbi Dei seu doctrinas ex eo acceptas et memoriæ mandatas, quibus identidem refici et corroborari queant. Corda auditorum quasi cophini sunt, quibus e concione auferunt et in animam suam inferunt panem illum. Verum cur soli Christi discipuli panes residuos auferunt? Cur non et alii de plebe? Respondet ad hoc Sanctus Ambrosius, lib. VI. in Lucam; quia apostoli designant electos, qui soli adlaborant, ut panem verbi Dei non solum auditu comedant, sed etiam ut secum auferant et in memoria reservent, ut suo tempore iterum eo se reficiant. « Non otiose, inquit, quæ turbæ supersunt, a discipulis colliguntur; quia ea, quæ divina sunt, apud electos facilius possis, quam apud populos reperire. » Electos igitur se non inani ostendunt argumento, qui verba Dei audiunt et custodiunt; habent enim quo se in hoc laborioso vitæ itinere sustentent et confortent. Timere sibi ac languere cœpit aliquando Elias ob minas Jezebel, mortem ipsi machinantis, III. Reg. XIX. Fugit ergo, et in via deficiens præ languore et lassitudine, projecit se subter unam juniperum: ubi cum obdormisset, angelus Domini apposuit ei panem subcineritium et aquam, jussitque eum comedere: comedit Elias: *Et ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus et quadraginta noctibus usque ad montem Dei Horeb*. Quin etiam si Abulensi, q. VIII. in eum locum, credimus, toto illo tempore, quo in specu latuit et quo regressus est, vigore solius prædicti panis vixit. Porro de hoc cibo ait Rabdanus: *Sicut corpus sine alimento corporali subsistere nequit, ita nec anima vivere sine verbo Dei*. Quadraginta illi dies et noctes totum vitæ nostræ cursum, usque dum ad montem cœlestis beatitudinis perveniamus, designat. Elias illo pane confortatus relegere iter suum jussus, nequaquam jam timere aut repugnare auditus est, quin potius adire regem Achab eique insultare, et reginæ, quam prius timuerat, mortem comminari, regni que infelicissimum exitum. Pari modo verbum Dei roborat pusillanimes et languentes in via cœli; ne terreantur minis, nec a justitiæ tramite facile deflectant, sed ut potius ipsi dæmoni ejusque pompis fiant terribiles: promittente eis Dei verbo omnem assistentiam, ac denique beatissimum finem mercedemque copiosissimam, simulque ministrante plurima incitamenta ad sectandas virtutes, arma quoque ad resistendum diabolo et pompis ejus, et quæ ad defensionem sui ac consolationem faciunt, etc.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

IV. *Ut hoc miraculo præluderet mysterio s. s. eucharistiæ a se instituendæ: quod indicat ipse Dominus, qui paulo post (ut scribit Sanctus Joannes, cap. V.) instituit sermonem de cœlesti pane corporis sui*. Quia enim mysterium illud profundissimum ac difficillimum est, voluit Dominus præmittere miraculum non absimile illi, quod facturus erat in institutione eucharistiæ. Quemadmodum in veteri lege, Exod. IV. persuasurus Moysi et Hebræis illis rem fere incredibilem, quod Moyses ex pastore creaturus esset dux populi et Deus Pharaonis, Hebræos vero erepturus e gravissima servitute, sceptro quoque ac dominatione condecoraturus; edidit eis signum in virga versa in colubrum, rursumque in se reversa, deinde in manu leprosa, pristinae sanitati momento restituta: ita Christus Dominus, ut nos sensibus afflixos facilius perduceret ad credendum illud sacratissimum mysterium, præmisit hoc miraculum, quo facilius assensum daremus illi alteri, utpote non absimili. In primis enim, sicut in illo, panem et vinum mutavit in corpus et sanguinem; ita in isto aerem circumfusum, vel aliud elementum convertit in panes, dum eos multiplicavit; nisi malit quis discere, per creationem addidisse Christum augmentum quinque panibus, quod majoris adhuc virtutis et difficultatis est. Deinde, sicut panem absque potu Christus apposuit, quia scilicet panis ille, ut multi sentiunt, etiam sitim pellebat: ita eucharistiam sic instituit sub duabus speciebus panis et vini; ita duo similima fecit miracula, aquam vertendo in vinum ad nuptias, et aerem in panes in hodierno evangelio, velut verus Melchisedech panem et vinum offerens. Ad hæc, ut prius Dominus cœlestibus doctrinis populum instruxit et languidorum morbos sanavit quam hoc epulum præberet; ita etiam requirit, ut nemo ad ejus mensam accedat, nisi prius bene instructus et sanatus a peccatis. Unde S. Ambrosius in cap. IX. Lucæ: *Nemo, inquit cibum accipit Christi, nisi fuerit ante sanatus*; et paulo post: *Mysterii ordo servatur, ut prius per remissionem peccatorum vulneribus medicina tribuatur, postea alimenta mensæ cœlestis exuberet*. Denique, in hoc convivio non nisi viri computantur, ut habet Matth. cap. XV. parvulos et mulieres excipiens: in priore etiam simili convivio idem asserit Joannes, cap. VI. *Enigmatice docens*, ait Divus Cyrillus Alex. lib. III. in Joannem, *omnibus, qui viriliter provitatem ac fidem amplectuntur, non imbecillibus ac mollibus cœlestem a Salvatore cibum præberi*.

V. *Ut divitibus ostenderet modum et rationem multiplicandi opes suas, si nimirum eas liberaliter erogent in pauperes, quomodo ipse erogavit*

panes sibi oblatos, et plures ex mensa sustulit, quam erogarit. Unde Cyrillus, lib. III. in Joan. cap. XVIII. ait: *Liberalitas nobis hoc miraculo commendatur, et quasi magna voce dicitur: Quanto plura dabis liberaliter ac misericorditer, tanto tibi plura largius confluent, etc.* Quod si non fiet in hac vita (quod tamen sæpissime contingit) certe fiet in altera. Septem hic fuere panes in esurientes distributi, et singuli panes singulas peperere sportas panibus refertas: alibi quinque panes, adhuc fecundiores, genere duodecim, adeoque quinque panes crevere in quinque millia, Joan. VI. Facundissimus ager est manus Christi, millacuplum refundens. Quod autem in sinum pauperum spargitur, in manus Christi, velut in agrum, seminatur. Demonstravit hoc simillimo miraculo beatus Jordanus ord. Prædic. magister generalis II. diffidenti cuidam cauponi, uti refert Leander Albertus, apud Sur. 13. febr. « Contigit aliquando ipsum cum duobus fratribus et laico sacris initiato, dum ex Italia in Germaniam contendere, ad hospitium divertere in vico, cui nomen Ursatia, in medio Alpium sito, ut cibum sumeret; jam enim hora et labor diu protractus itineris montium illos subinvitaverat: sed caupone dicente, non esse quod apponeretur præter panes duos, jussit (mensam apponi. Demum cepit ex dictis panibus, prius benedictione peracta) egenis, quibus plurimum ea loca abundabant, partes multas elargiri. At caupo et fratres illi succensentes, prius clauso ostio, ne amplius egeni ingrederentur, præmonere, affirmantes eo in loco dumtaxat panes illos inveniri posse, nec esse pro se ac sociis sufficientes: quare ne sic erogaret illos, ne mox ipse cum suis penuria cibi laboraret. Sed viri Dei jussu, nec moti cauponis verbis, nec a fide, quam in Deum reposuerat, janua reseratur, introducuntur egeni: et ut prius benedictionem accipientes, ita ut triginta partes viritum divideret adeo pingues, ut unicuique abunde sufficerent: nec propter hoc viro Dei et sociis panis defecit: quinimo et caupo cum uxore et familia ex eo, qui residuus fuerat, abunde epulatus est. Quo viso perterritus caupo, et virum Dei admiratus est ac veneratus, et sine prandii solutione abire permisit. Quinetiam eum donavit vini lagenula, quam socii secum deferre consueverant. » Non opinor opus hoc probare pluribus, cum plurima de hoc tradantur ss. patres, et alibi nos viderimus. Id solum hic divitibus observandum noto, quod docuit eos Christus, dum in cœlum prius sublevavit oculos quam panes distribueret. Hoc enim et divitibus imitandum proposuit, ut nimirum oculos, elevent in cœlum, et unde sua omnia habeant, bene considerent. Nonne et

cælo a quo lucem, calorem, virtutem generativam rerum omnium, quibus ipsi fruuntur? Eo igitur accepta refundant; inde enim velut ab oceano iterum ad ipsos redibunt suo tempore, si non in hoc, certe in altero sæculo. Nonne cælum eas, quæ a terra attrahit exhalationes et vapores, iterum ei restituit per salutarem pluviam maximo cum fœnore? Nonne quando videmus nebulam sursum ascendere et attrahit a sole, statim ominamur secuturam altero vel eodem die pluviam? Nonne dicere solemus: Nebula hæc de cælo brevi ad nos redibit in pluvia? Et quoties dicimus post longam siccitatem, si pluat, aurum pluere, triticum pluere et vinum? Sic res se habet cum elemosyna: quicquid per manus pauperum attrahit ad se Deus ex tua elemosyna, certissime tibi restituet cum grandi usura.

Postquam igitur vidimus quam æquo et salubri consilio miraculum hoc in panibus Christus ediderit, superest, ut ipsum non solum agnoscamus velut Deum omnipotentem, sed etiam amemus velut patrem et altorem liberalissimum. Imitemur pium illum populum hod. evangelii, et rapiamus Christum Dominum, ut sit rex noster, nosque servi ejus. Dicamus ei, quod illi Isa. III. *Princeps esto noster, qui tu es medicus, qui possis mederi necessitatibus nostris: In domo tua est panis.*

CONCIO II.

VULGUS SEU TURBA HOMINUM MISERATIONE DIGNA.

I. Quia sunt vexati. — II. Quia jacent. — III. Quia sunt velut oves sine pastore.

THEMA.

Misereor super turbam. Marci VIII.

De potentissimo illo Persarum rege Xerxe scribit Herodotus, l. VII. Valerius Max. l. IX. et alii, spectasse eum ex alta specula in Abydenis campis juventutem suam bellicam, ingenti exercitu Hellespontum operientem, eaque visa ingemuisse et illacrymatum esse. Causam interrogatus a patre suo Artabano, respondit: *Subiit animum meum cogitatio, quam brevis et misera sit hominum vita, quando ex tam numerosa multitudine, post annos centum, nemo superfuturus est.* Salvator etiam noster, summus gloriæ rex, in hodierno evangelio videns ex monte non exiguam turbam multitudinem, ingemuit super eam dixitque: *Misereor super turbam*; non quidem, quod intra centum annos morte consumenda esset (quod jam olim decreto Dei statutum est) sed quod, fame laborans, nisi reficeretur, vitæ discrimen incursum; seu, ut alibi in simili spec-

culo, apud Matth. IX. dicitur: *Videns turbas misertus est eis, quia erant vexati et jacentes, sicut oves non habentes pastorem.* Non tam ingemiscit ob inediam corporum, quam animarum; nec ob sacerdotes et pastores, legisperitos, Pharisæos, Scribas, sed ob turbam et oves seu promiscuum vulgus, quod sane miseratione maxime dignum, et quidem ob causas illas, quas indicavit Dominus, Matth. IX. uti mox videbimus.

I. Quia sunt vexati: in primis a rectoribus sæpenumero malis, a quibus inquietantur et trahuntur in omnem partem quocumque illi præeunt: cum hæreticis fiunt hæretici, cum Lutheranis Lutherani, cum Calvinistis Calvinistæ, mutant religionem quoties illi mutant. Unde bene S. Basilius, ep. LXXXII. ad Patrophilum episcopum scribit: « Homines similes sunt nubeculis, pro ventorum immutatione ad aliam atque aliam aeris partem jactatis. Quorum iudicia ne morarentur, sed per evangelia absolute instituerentur, » existimat ibidem se convaluisse e gravi infirmitate. Ergo, ut a vento nebulæ, ita a principibus trahuntur et circumferuntur turbæ. Patuit in Hebræis, qui in gratiam suorum regum idola colentium, et ipsi ea coluerunt, nunc ista, nunc illa: uti in gratiam Jeroboam deficientes a Salomone et filio ejus, et in gratiam Jehu, deficientes a rege suo Achab colendo vitulos pro Baal, quem coluerunt prius sub Achab; de quo queritur Oseas, c. VII. *In malitia sua lætificaverunt regem, et in mendaciis suis principes.* Idem fecerunt in Ægypto, ubi cum Ægyptiis Ægyptiorum idola coluerunt, ac postremum, quando in gratiam suorum principum Annæ et Caiphæ Christum, quem paulo ante glorificaverant, et cum triumpho in civitatem introduxerant, reum mortis exclamarunt et ad crucem postularunt. Cujus levitatis et inconstantie causam reddidit apposite Marcus Vigerius, chorda VII. c. CXVIII. in hæc verba: « Quare principes sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent? Mare sine vento nemini nocet, utque libet, sese exhibet remigabile: vento percitum, remis attingi non potest: velis agendum est pro ventorum arbitrio; quod si magis desævierint, vela discindunt: temonem loco dimovet fluctus; ita, pro impetu tempestatis vique ventorum, mare extollitur, convolvitur, rapit atque submergit. Plebs quoque sibi dimissa placabilis est, ad prosequendum justum et æquum facile persuasibilis: hanc primores pro auctoritate suis affectibus quasi ventis inquietant, rapiuntque specie consilii, quocumque volunt, et sæpe in furias perniciemque sui trahunt. » Quod certe experti sunt postea Judæi, quando ob hoc sce-

lus exterminati, et per orbem dispersi ac subjugati sunt.

Secundo, deinde a se invicem, dum unus alterum vexat et inquietat, ad vitia pertrahendo, et a virtutum cursu impediendo. Testatur Seneca, l. de beat. c. 1. « Nihil nos, inquit, majoribus implicat malis, quam, quod componitur ad rumorem, optima rati ea quæ multorum assensu recepta sunt, nec ad rationem sed ad similitudinem vivimus. Inde ista tanta coactio aliorum super alios ruentium, quod in strage magna hominum evenit: cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium post se trahat. Primi exitio sequentibus sunt, etc. » Ejus rei typus fuit illa turba, quæ impediit Zacchæum, ne videre Christum in terra constitutus posset. Unde de eo Eusebius Emisenus (ut putatur) in hom. *Mala turba, inquit, quæ a tali tantoque bono hominem deturbat.* Cuperet quis toto pectore vivere semper sobrius, sed ecce veniunt et invitant amici se ad ipsius mensam. Quid hic agat? Parare lautius prandium cogit, meliora vina deprimere, hospites ad hilaritatem excitare, præbivere, respondere, ad tres quatuorve horas mensæ assidere. Hinc mane capitis dolor, temperantiæ jactura æque ac pecuniæ. Vellet alius avidis auribus attendere concioni; sed ecce turba murmurans aut socii fabulantes mentem ejus avocant, et ad sua colloquia trahunt; quomodo ex Judæis multi dicebant ad alios Christi auditores: *Dæmonium habet et insanit, quid eum auditis?* Jo. X. § XX. Desiderant alii per frequentem confessionem et communionem Deo se unire; at hoc inusuetum esse turba oggannit, ad convivia potius, ad ludricam invitat, et tantum non cogit suis vexationibus. Hæc causa est, cur David exul a Judæa, inter gentiles degens, dixerit ad Saulem de aulica ejus turba: *Ejecerunt me hodie, ut non habitem in conspectu Domini, et dixerunt: Vade, servi diis alienis.* 1. Reg. XXVI. Loquitur de illis, qui instigarunt Saulem, ut Davidem prosequeretur. At ubi hi dixerunt Davidi: *Vade et servi diis alienis?* Facto, non verbo dixerunt, quando coegerunt eum a Judæis profugere ad gentiles. Hoc enim aliud non erat quam impellere in idololatriam. Quid enim vexationis et tentationis pati utique inter gentiles non debuit David Judæus? Quare tu, aiebant, nostrum panem comedis, et cantilenam nostram non canis? Tu solus hic alium Deum coles, quam nostrum? An nostros cibos spernis? Nescis alios Judæos, quoties ad nos profugerunt, coluisse deos nostros? Quis, quæso, turbæ hujus impetus sustineat? Hinc S. Augustin. serm. CLXIV. de temp. baptizatos graviter monet: *Timeo de vobis non tantum a paganis, non a*

Judæis, non ab hæreticis, quantum a catholicis. Eligite vobis de populo Dei, quos imitemini. Nam si turbam imitari volueritis, inter paucos angustam viam ambulantes non eritis.

II. Quia sunt jacentes. Ubi? Primo, in terra, hoc est, in terrenis bonis; atque in primis in carnis cura, voluptatibus, et commoditatibus carni blandientibus; quos deplorat apostolus ad Philip. V. dicens: *Multi, (ecce vulgus et turbæ) ambulat, quos sæpe dicebam vobis (nunc autem et flens dico) inimicos crucis Christi: quorum finis interitus, quorum Deus venter est, q. d. qui soli ventri student, ejusque commoditatibus. Testatur id ipsum Thucydides: Vulgus hominum cupiditatibus agitur, inquit, non ratione. En Corn. Tacitus, l. XIV. « Vulgus est voluptatum cupidus, et si eo princeps trahat, lætum. » Denique, Philo lib. de Joseph: « Sicut coqui, inquit, omnia esculenta ad suavitatem oris comparant, utilia negligunt; sic ignobile vulgus securum de commodis, præsentem tantum voluptatem venatur. » Patuit certe in Hebræis per desertum peregrinantibus, qui licet manna, omnis generis ciborum continens saporem, haberent, ejus tamen nauseam ceperunt; quod ipsius color, odor, forma et similes qualitates semper eadem existerent, adeoque eorum appetitui minus placerent: quemadmodum gulones, pueri præsertim, qui sæpe non tam ventrem, quam oculos et phantasiam cibo saturare cupiunt, et si negetur, indignantur aut plorant. Hinc: *Vulgus promiscuum flagrat desiderio, sedens et flens, junctis sibi pariter filiis Israel, et ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis; in mentem nobis veniunt cucumeres, et pepones porrique et cæpe, et allia.* Num. XI. Verum hæc eorum stulta plane concupiscentia Deum ad iracundiam concitavit, ut percuteret eos: *Plaga magna nimis; et Moysi res intoleranda visa est, quod nimirum populus cælesti et quasi angelico pane repudiato, desideraret terrestres et viliores longe cibos, mera ventris cura et curiositate.**

Deinde, in lucro comparando, juxta id Isa. 1. *Omnes diligunt munera; sequuntur retributiones.* Causa est, quod vulgus fere ex fæce hominum constat, qui cum excellentia et sublimia virtutum, scientiarum et cælestium rerum bona parum capiant, minus vero expendant; hinc ea parvi æstimant, vilioraque illa diligunt: et quia vicissim toti sunt immersi negotiis sæcularibus, quibus victum et temporalia sibi parant, videntque præsens commodum inde sibi emergens, vilitatem et pericula eorundem non cogitant, ideo se totos illis addicunt. Hinc Sapient. Sap. XIV. *Creaturæ Dei in odium (h. e. in*